

culi, & pes muscæ pilis magnis instructus duos ungues habet exiles, ut in quoslibet poros se insinuare poslit, unde non mirum, si per vitra ambulare possint.

4. Pulex appetet sex pedibus instructus posterioribus longioribus, quando salire vult omnia crura simul extendit.

5. In Papyro mirabilis textura instar retis appetet & folia herbarum, nec non alæ papilionum, aspectu mirabilia oculis sistunt.

6. Situs conspicitur ut copia exiguarum plantularum capsulis seminalibus gaudentium: ex quarum aliis excussum quasi est semen, aliæ nodosæ & singulis suis caulinibus distinctæ sunt.

7. Aculeus muscæ pungentis insignis magnitudinis appetet & variis recurvis uncis instructus est.

8. Folium urticæ acutissimis spiculis est plenum, ex quorum cuspidibus exsudat liquor.

9. Casei vermiculi acari dicti, magni apparent, ubi & caput cum oculis & pedes accurate distingvuntur.

10. In alio microscopio quod lentem habet minimam, circulatio sanguinis in pediculo conspicî potest, item per aliud instrumentum in cauda angvillæ etiam sanguinis circulus.

11. In aceto, si debite vitro applicetur, spicula figuræ angvillaris apparent.

#### DEMONSTRATIO. IV.

Corpus crassum grave, indolis fixioris mediante ætheris admixtione & motu in summum tenuitatis & volatilitatis statum deducitur.

Expe-